

circulo positionis, globo ita fixo permanente, cuspides dictarum domorum, eisq; dia-
metraliter oppositarum, quemadmodum in dogmate capituli 52 tradidimus. Ascen-
dentis quidem 20 Leonis, duodecimæ 22 Cancræ, undecimæ 22 Geminorum, de-
cimæ 18 Tauri, nonæ 15 Arietis, octauæ 18 Piscium &c.

Significatorem quemlibet ad locum propositum
quemcuncq; artificialiter dirigere.

CAPVT LXI.

Priusquam ad operationem descendetur, nonnulla uocabula præsentis
negotij diffinienda sunt. Dirigere non est aliud, quam mouere sphæ-
ram, donec locus secundus traducitur ad situm primi, id autem tunc ac-
cidere Ptolemæus hac in re clarissimus asserit, quando locus secundus
perducitur ad circulum, in quo iacuit locus primus, aut e contra, locus
primus transfertur ad circulum in quo ponebatur locus secundus. Circulum dico
coincidentem meridiano & horizonti, in utraq; eorum communi sectione, quem
superius circulum positionis appellare libuit. Locum autem primum uoco eum, cu-
ius noticia prior in mentem uenit, aut quem dirigere iubeor. Locus uero secundus
est is, ad quem dirigitur primus. Locus primus plerumq; uocari solet Significator,
quod alicuius rei habitudinem in cælo repræsentet. Locus autem secundus, non in-
iuria promissor appellabitur, quod futurum aliquod accidens, siue bonum siue ma-
lum portendat. Significator itaq; habet uicem subiecti recepturi aliquid à promisso-
re in certo tempore, cuius quidem temporis quantitatem directio metiri solet, quæ
admodum iudicibus placet. Directio autem est motus primi mobilis, quo uidelicet
Significator traducitur ad situm promissoris, aut e contra: solet tamen ut plurimum ac-
cipi directio, pro arcu æquatoris qui coascendit, uel condescendit interuallo, quod
est inter significatorem & promissorem, respectu circuli positionis, in quo alter eo-
rum iacet, unde & dirigere tunc dicimus, quando huiusmodi arcum docte nume-
rabimus. Duplicem autem directionem distinguere solent Astrologi, quarum una
quidem uocatur directio directa, in qua uidelicet locus secundus, id est promissor,
intelligitur transferri ad situm primi, id est significatoris, dicitur autem directio se-
cundum signorum successionem, alia autem uocatur conuersa, aut contra successio-
nem signorum, in qua locus primus intelligitur transferri ad locum secundum.
Hac secunda directione utuntur iudices pro parte fortunæ, ac alijs partibus, & pro
planetis retrogradis. Quando igitur significator in meridiano uel sub armilla me-
ridiana fuerit, siue supra terram, siue sub terra, subtrahe ascensionem eius rectas ab
ascensionibus rectis promissoris, accommodato integro circulo 360. graduum, si
opus fuerit, & relinquetur directio significatoris quæsitæ. Si autem fuerit in ascen-
dente, minue ascensionem eius obliquam, ex ascensione obliqua promissoris, sic enim
reliqua manebit directio significatoris quæsitæ, non aliter operaberis per descensio-
nes, si significator fuerit in occidete, subtracta enim descensione obliqua signifi-
catoris, à descensione obliqua promissoris, relinquetur directio quæsitæ. Exemplum
sit istud: In latitudine regionis 49½ graduum, fuit ascendens cuiusdam natiuitatis
16 gra. Libræ, significator scilicet uitæ, quem ad quadraturam Solis, id est, promisso-
ris, iubeor dirigere, quæ erat in 7 gra. Scorpionis: quæro igitur ascensionem obli-
quam dicti significatoris, scilicet gradus ascendentis, quæ est graduū ferè 202. quæ-
ro etiam ascensionem obliquam 7 gra. Scorpionis promissoris, quæ est 231. ferè, sub-
traho ascensionem obliquam ascendentis scilicet significatoris, ab ascensione obli-
qua quadraturæ Solis, id est, promissoris, & remanebunt gradus 29, directio gra-
dus ascendentis ad quadraturam Solis quæsitæ.